




REVERENDISSIMO AC
ILLVSTRISSIMO D. D. DA-
NIELI, S. MOGVNTINÆ SEDIS

Archiepiscopo, ac S. Romani Imperij per Ger-
maniam Archicancellario, &c. Principi
Electori, Domino suo & Mœ-
cenati clementissimo.



VM REVERENDISSIME ET

Illustissime Princeps, hortatu tuo ad Facul-
tatem Theologicam Moguntia admitti postu-
lassem, humanissimeq; mihi Reuerendus Do-
mi. Decanus, ceteriq; M. N. annuissent, intellexi prius
publicam aliquam de re Theologica à me instituendam esse
secundum Academiae Leges disputationem, quam in prædi-
ctam Facultatem adscribi possem Itaq; breues quasdam The-
ses de Antichristo, vel potius Antitheses de Christo & An-
tichristo subito confeci, quod hæc disputatio, quæ tota in
Pontifices Romanos vanissime à Sectarijs contorquetur, &
huic tempori Antichristorum plenissimo in primis conueniat,
& non iniucundam habeat tractationem. Quanquam &
ego, nisi ingratissimus sim, putabam me hoc officium debere,
tum S. D. N. Grego. XIII. cuius eximia hætenus libe-
ralitate per multos annos in Collegio Germanico Romæ stu-
dijs Philosophicis & Theologicis conficiendis sum vsus, tum
Cels. T. cuius singularem humanitatem, & antequam ad vr-
bem accederem, & postquam ex vrbe Aschaffeburgum redij

sum expertus. Quare & planè constitui hoc qualecunq. Opusculum, clarissimo T. Cels. nomini dedicare, tum vt grati animi mei aliquod publicè ederem testimonium, tum vt illustratione nominis tui sapientissimi, quod parum habiturum ex me erat autoritatis, plurimum lucis & splendoris assequeretur. Christus Dominus T. Cels. nobis totiq. Ecclesiæ Catholicæ quam diutissimè incolumen & fœlicem conseruet. Moguntia 16 Februarij anni 81.

R. T. C.

Humilimus Capellanus &
Alumnus

Etherius Hoffman,
Doctor,

Anti.

Antithesis I.



GRAVIS & obscura quaestio est in diuinis literis de Antichristo, quę sanctissimos, doctissimosq; viros in Ecclesia Christi olim valde exercuit: Sed eam longę obscuriorem ex præsumptis opinionibus & odio in Ecclesiam Catholicam, huius temporis Sectarij reddiderunt, cum totum hoc quod de Antichristo proditum est in sacris scripturis, non ad singularem aliquem hominem, vti intellexit tota antiquitas, sed ad ordinem & seriem Pontificum Romanorum referre audent. Quare breuiter his Antithesibus, quid de Christo & Antichristo, secundam Catholicam veritatem tenendum sit, vt collatione pugnantium clarior sit disputatio, explicabimus.

II.

ET vt à nominis descriptione rem exordiamur, Christi Saluatoris nostri nomen ab vnctione sumptum esse constat, eo quod vnctione Spiritus Sancti, hominum, angelorumq; rex ac caput totius Ecclesie militantis & triumphantis diuinitus sit consecratus. Quare ad eum pertinet antiquum illud prophetae vaticinium: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo latitiae præconfortibus tuis.* **ANTICHRISTVS** verò significat Christi æmulum & aduersarium, qui è diametro Christum oppugnat, vt vox & *ANTI*, quæ apud sacros & prophanos Scriptores frequentissimè idem significat, quod Contra: & vsus loquendi Græcorum ostendit.

Quid significet nomē Antichristi.

Psal. 44.

III.

QVARE vanum est somnium Sectariorum,

A 3 qui

*Musculus e.
de potestate
Ministrorum.*

qui ex vno exemplo, ἀντιστάτους, quod significat Duci Vicarium, nomine Antichristi contendunt significari Christi Vicarium, ad condemnandos Pontifices Romanos : præterquam enim quod græca phrasis in verbis similibus, ut in voce ἀντίθετος & ἀντίπαλος aliud declaret, satis esse debet nobis, non solum in S. Patrum scriptis, sed etiam in diuinis literis, hanc tantum quam nos urgemus, hoc nomen habere significationem. In scripturis enim definitur Antichristus is esse, qui extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. At Vicarius Christi & successor D. Petri non extollit se supra Christum, quia & credit in illum, & confitetur omnem se ab eo habere potestatem.

*Daniel. 11.
2. Thess. 2.*

III.

ET SI autem omnes Ecclesiæ Christianæ hostes & persecutores, Ethnici, Iudæi, hæretici, Antichristi quidam dici possint, quemadmodum & olim Prophetæ ac Reges in Sacris literis appellantur Christi: tamen eximium illum, de quo Daniel vaticinatus est, & descripsit B. Apostolus in Epist. altera ad Thessal. vnum quendam singularem hominem esse affirmamus, non multorum hominum longam seriem & successionem.

V.

ET ENIM, cum, sicut Deo opponitur Satan, & Ecclesiæ malignantium Ecclesia Sanctorum, ita Christo Dei filio vero Messias opponatur Antichristus filius perditionis, & perfidorum Iudæorum expectatio ac Pseudomesias, eo quod de vtriusque eandem Sacra scriptura loquendi formam seruet: necessarium est certè, ut quemadmodum Christus propriè dictus, vna tantum est persona singularis, non multæ, sic Antichristus vnus homo sit, non plures, quem Christus his verbis,

*Antichristum
fore vnum hominem.*

1. Ioan. 2.

bis (vti intellexerunt omnes veteres) denotauit. Ego ve- *Ioan. 3.*
ni, inquit, in nomine patris mei, & non accepistis me. Si alius (Anti-
christus) venerit in nomine suo, illum recipietis. *2^a Iren. l. 5. Christ. Ep. 11. in Jo. 4. 18. 19.
- Et ad Algasia Epist. l. 3. in Jo. c. 5.
Et Theodor. in Danielen.*

VI.

NEQVE Scriptura neglexit certis quibusdam
verbis, quali notis explicare singularem fore homi-
nem. Nam & apud Matthæum Antichristus secundum *Matth. 24.*
textum græcum dicitur, illa abominatio: apud D. Paulum *2. Thess. 2.*
vero, Homo ille peccati, ille filius perditionis, ille aduersarius, ille ini-
quus. Et apud D. Ioannem, Ille Antichristus, quibus pro- *1. Ioan. 21*
nominibus Græci certas personas designant. Imò in
Apocalypsi eiusdem & quale sit nomen Antichristi fu- *Apor. 13.*
turum apertè explicatur. Deniq; omnes Patres docent
vnum hominem futurum, cuius certam patriam, tri-
bum, res gestas, regnum & imperium breuissimum,
secundum Scripturas sacras descripserunt,

VII.

CHRISTVS in hunc mundum venit iamdu-
dum ante mille quingentos & eo amplius annos, cum *Quando ven-
turus sit An-
tichristus.*
plenitudo temporis adesset, vt quæreretur & saluum fa-
ceret, quod lapsu primæ parentis perierat, quanquam
& probabile est, venturum fuisse, si Adam non pecca-
uisset. At Antichristum necdum apparuisse certum est,
quia non apparebit nisi impendente mundi consum-
matione, quando illum Dominus spiritu oris interficiet, vt lo- *2. Thess. 2.*
quitur Apostolus, & destruet illustratione aduentus sui. Vnde
& apud Matthæum Christus Antichristi aduentum
cum mundi consummatione coniunxit, dicens: Tunc *Matth. 24.*
veniet consummatio. Cum ergo videritis abominationem desolationis stan-
tem in loco sancto, &c.

VIII.

DEINDE constat ex manifestis eiusdem Chris-
ti

Matt. 24.
Lucæ vlti.

ſti Saluatoris verbis, prius Euangelium regni in vni-
uerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus eſſe præ-
dicandum, quam veniat Antichriſtus. Quam magnæ
autem orbis parti, non ſolum ante ſeptingentos annos,
cum multi Septentrionales nihil de Chriſto auდიissent,
verumetiam noſtra ætate ignotum fuerit Euangelium
Chriſti, liquido conſtat ex recentibus conuerſionibus
America, Iaponis, aliarumq; latiffimarum prouincia-
rum noui orbis. Annunciato autem per totum mun-
dum Euangelio, reliquæ Iudæorum, quæ huc uſque
in perfidia ſua & cæcitate perdurabunt, in ouile Do-
minicum ablato velamine inducentur, & eum quem
promiſſum putabant eſſe Meſſiam, tanquam Antichri-
ſtum deferent & abiurabunt.

Lucæ vlti.
Roma. 11.

Ioan. 5.

IX.

Daniel. 2.
57.

DANIELIS quoque vaticinium, & D. Ioan-
nis Apocalypſis non obſcurè oſtendunt Romanum
prius excindendum eſſe imperium, per tibias ferreas
ſtatua Nabuchodonozoris, & beſtiam terribilem, mi-
rabilemque & fortem nimis, ac beſtiam coccineam, ſi-
gnificatum: idque à decem regibus per totidem cornua
designatis. Quare & Apoſtolus in Epiſt. ad Theſſal.
ſcripſit, quod ante ſecundum Chriſti aduentum veniet
primum diſceſſio à Romano Imperio, deinde ipſum
Romanum imperium de medio tolletur, & tunc reue-
labitur Antichriſtus, vti eum locum D. Auguſtinus,
aliique vetuſti Patres intellexerunt.

X.

Ioan. 22

SED obijciat forte aliquis, videri iam dudum ad-
ueniſſe Antichriſtum, eo quod D. Ioannes in Epiſtola
ſua priore ita ſcribit: *Audiſtis quia Antichriſtus venit: Nunc*
Anti-

Antichristi multi facti sunt. Verum non inde aliud euinci,
tur, quam similem tantum aliquem eximio Antichristo
fam tum venisse, videlicet, aut crudelem Neronem, *Ant. in. 2. Vers. 2.*
capitalem Christianorum hostem, aut Simonem Ma-
gum, qui se pro Deo quopiam venditabat, aut etiam
alios multos hæreticos, qui doctrinam Christi euerte-
bant. Nam & hos nomine Antichristorum intelligi,
paulo post ipse B. Ioannes his verbis ostendit: Omnis spi- *1. Ioan. 4.*
ritus, inquit, qui soluit Iesum, ex Deo non est: & hic est Anti-
Christus.

XI.

CHRISTVS filius Dei, simul Deus & homo *De ortu An-*
est, natus sine semine virili ex purissima virgine Ma- *tichristi.*
ria, omnis labis etiam originalis experte. Vnde & ve-
re *θεός* dicitur. Antichristus verò erit purus homo, *Hyppol. de*
qui è viro & muliere, quam quidam putant fore scor- *conf. mundi.*
tum, in lucem prodibit. Itaq; non erit simul homo &
diabolus, licet eo diabolus tanquam præcipuo suo in-
strumento, ad omnia mala perpetranda sit vsurus.

XII.

CHRISTVS in Bethlehem Iudæ natus est è
tribu regia Dauid. Antichristum de tribu Dan nasci- *Gen. 49.*
turum multi Patres asserunt: certum autem est fore
natione Iudæum, quia satis apertè ostendunt scriptu-
ræ, Iudæos Antichristum velut Messiam suum rece-
pturos esse. Quod etiam indicauit Apostolus, cum ita
loquitur: *Cuius est aduentus secundum operationem Satana, &c. ijs* *2. Thess. 2.*
qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent.
Ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio: vt iudi-
centur omnes qui non crediderunt veritati.

B

NOMEN

XIII.

*De nomine
Antichristi.
Lucæ 1.*

NOMEN proprium Christi illud est, quod ab Angelo nominatum est, priusquam in utero virgineo conciperetur; in quo omnes nos oportet saluos fieri, dulcissimum **I E S V S**. Antichristo verò nomen quod sit futurum incertum est, nec cognosci poterit, nisi postquam aduenerit. Designatur quidem nomen eius in Apocalypsi, numero sexcentorū sexaginta sex, quem Græci complectuntur tribus elementis x. ε. ς. Sed quia hic numerus multis potest vocibus exprimi, ut $\lambda\alpha\tau\epsilon\nu\theta$, $\tau\epsilon\iota\tau\alpha\rho$, quas habet Ireneus, vel $\lambda\alpha\theta\epsilon\rho\acute{\alpha}\nu\alpha$, vel $\tau\alpha\epsilon\acute{\iota}\sigma\upsilon\nu\alpha\theta$, nihil inde certum haberi potest,

Apoc. 13.

ib. 5.

XIII.

*De Charactere
Antichristi.*

CHRISTI character est Sacramentum Baptismi, & signum sanctissimæ Crucis. Bestiæ vel Antichristi quis futurus sit, ignoratur. Audet quidem sacra Confirmationis Sacramentum, aut Confessionem Orthodoxæ fidei Romanæ, Sectarius quidam appellare characterem bestiæ: sed mera calumniæ est, qua etiam Apostoli, Martyres, & Confessores, qui iam inde ab initio Christianæ religionis Sacramentum Confirmationis agnouerunt, condemnantur. Potius audiendus est vetustissimus Scriptor Hyppolitus, qui ait characterem Antichristi in eo futurum, ut lingua neget **DEVM**, eiusque cultum ac sacrum Baptisma: manu autem nolit pretiosam Domini crucem fronti, ceterisque corporis membris imprimere.

*Buling. Ser.
67. in Apoc.*

Asto. 8. 19.

*In Orat. de
conf. mundi.*

XV.

*De regno An-
tichristi, eiusque
sede.*

CHRISTVS licet verè rex esset cœli & terræ, tamen quamdiu in hac vita mortali fuit, regnum terrenum

num sibi vſurpare noluit. Sedes regni eius cœlum eſt, in quo regnat cum Sanctis, Eccleſia ſancta, & corda omnium fidelium, quæ per gratiam ſanctificantem non imputatam, ſed verè inhaerentem, inhabitat. At Antichriſtus legiti-mus rex non erit, ſed per vim regnis aliorum euerſis, nomen regium vſurpabit. Vnde & apud Danielem non per aliquam quatuor beſtiarum, vt vo-
luit Beza, quæ delignant Monarchias, ſed per cornu parvulum Antichriſtus eſt præfiguratus, quod exurgens tria ſtatim cornua comminuet, hoc eſt, regnum Lybiæ, Ægypti & Æthiopix evertet. Quo perfecto facile reges alios ſeptem, quorum meminit eadem prædictio Danielis, ſibi ſubiugabit, ita enim hoc vaticinium intellexit B. Hieron.

Dan. 7.

In 2. Theſ.

Iren. l. 5. Hieron. in c. 7. Dan. Aug. l. 20. de civ. d. 23.

Int. 7. Dan.

XVI.

SEDES vero vel ſolium Antichriſti erit templum Salomonis, vel ſolium Davidis regis, non autem Roma, vel Cathedra Petri Apoſtolorum principis, quam nunc occupant Pontifices Romani, cum certe Romam ſummo ſit odio proſequuturus, & Hieroſoly-mam templumq; Salomonis reſtaurare, licet fruſtra, conaturus. Cathedra autem Petri ſedes Antichriſti eſſe non poteſt, tum quia à Chriſto illa fundata eſt, tum quia ſuper petram immobilem conſtructa eſt: adverſus quam nec prævaluerunt adhuc inferiorum portæ, nec vnquam vt firma ſit Chriſti promiſſio præualebunt,

Matth. 16.

XVII.

ILLVD autem, vt concedi poteſt B. Ioannem Apoſtolum in ſua Apocalypſi, nomine Babylonis, in-

cap. 7.

B 2

tellige,

telligere Romam, quod tum Nero ibi, aliq̃ue Imperatores summi Christianæ religionis hostes essent, vel etiam omniū hereticorum princeps & Antichristi præcursor Sîmon Magus, aliq̃q̃ hæretici, gentiles, Iudæi: ita prorsus negandum est, Apostolum Paulum, cum ait Antichristum sessurum in Templo Dei, de Christianorum Ecclesijs esse locutum. Constat enim primis Christianorum temporibus loca, in quibus cætus agebantur fidelium, non templa, sed Ecclesias fuisse ap-
Iren. lib. 6.
Hypp. de conf.
Hila. Can. 25.
in Matth.
 pellatas. Itaq̃ locutus est de templo Salomonis, quod adhuc in pretio apud Iudæos tum habebatur, Sic enim S. Patres locum illum explicarunt,

XVIII.

CHRISTI doctrina continetur sacris Evangeliorum, & Apostolicorum scriptorum voluminibus, diuinisq̃, quas vocant traditionibus non scriptis. Antichristi erit huiusmodi. Principio Christum Messiam & Dei filium fuisse blasphemè pernegabit. *Hic est Antichristus*, inquit S. Ioannes, *qui negat Patrem & Filium.*
1. Ioan. 2.
Ambros. in 2.
Theff. 2.
Hiero. in 11. c.
Daniel.
Ioan. 5.
2. Theff. 2.
Daniel. 12.
 Deinde circumcisionem, obseruationem Sabbati, cæterasq̃ Iudaicas cærimonias omnibus suis Sectatoribus imperabit, Adhæc se Christum ipsum esse, non autem Vicarium Christi, iactabit, imò extollet se super omne quod dicitur Deus, vt scripsit Apostolus. Deniq̃ omnia præcipua Christianæ fidei & pietatis mysteria à Christo instituta e medio tollere conabitur: inter cætera Iuge sacrificium Corporis & Sanguinis Dominici, quod quotidie in Catholica Ecclesia peragitur, Non tamen eousq̃ progredietur eius tyrannis, vt totam Romanæ Ecclesiæ fidem penitus extinguere possit,

CHRI.

XIX.

CHRISTVS reueretur & colit omnipotentem Patrem suum, colique & honorari vult Sanctos, non quasi Deos, sed vt amicos suos & cohæredes: neutrum autem patietur Antichristus. Ille enim tantum deum Maozin, de quo apud Danielem, diuinis *cap. 11.* afficiet honoribus, qui vel erit diabolus, cum quo pacta conuenta habebit, vel Dux thesaurorum suorum, Ab alijs verò nullum vel numen vel idolum aliud, præter seipsum adorari patietur.

XX.

CHRISTVS se Dei filium esse, suamque doctrinam cœlestem esse veris miraculis, quæ nulla vi naturæ vel artis fieri poterant, comprobauit: Antichristus verò secundum operationem Satanae, & arte Magica magnis quidem in speciem signis & prodigijs infinitam hominum multitudinem à veritate abducet, breuisque tempore amplissimis & quamplurimis potietur prouincijs & regnis, verum miracula vera non erunt, sed præstigiæ meræ vel admirabilia tantum quædam opera, quæ dæmon etiam virtute naturali incredibili celeritate machinari potest, *De miraculis eius. 2. Thess. 2.*

XXI.

CHRISTVS suo aduentu pacem toti mundo attulit, suamque doctrinam non potentia armorum, sed patientia malorum voluit propagari. At Antichristus vt suæ tyrannidis consequatur assecclas, persecutionem fauissimam excitabit, maximosque exercitus omnium crudelitate armatos ex Turcis, Tartaris & Schytis nominibus Gog & Magog in Apocalypsi significatos, in prælium educet, qui & latitudinem orbis occupabunt, *De propagatione regni eius. 2. Thess. 2.*

cap. 8.

Matth. 24.

& obsidione cingent castra Sanctorum & ciuitatem dilectam, interficientq̃, vt habet Daniel, robustos & populum sanctorum secundum voluntatem suam, com-
plebiturq̃ prædictio Christi fore tribulationem tantam illis temporibus, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet.

XXII.

Apor. 11.

Malach. 4.

Eccel. 4. 4. 48.

cap. 11.

EODEM tempore Helias & Henoch olim in paradysum translati, in hunc mundū redibunt, vt Christi gloriam contra tyrannidem Antichristi defendant, & hortentur fideles, ne signis mendacibus Antichristi fidem accommodent. Apparebunt autem induti saccis, & 1260. diebus in annunciando Christo & pœnitentia laborabunt. *Hi sunt duæ oliuæ, vt habet Apocalypsis D. Ioannis, & candelabra duo lucentia in conspectu Domini, qui cœlos claudent ne pluant, aquas in sanguinem conuertent, & terram omni plaga, quotiescunque voluerint, percutient. Cum verò testimonium suum, munusq̃ propugnandi Christi gloriam absoluerint: Antichristus per vim summam ac tyrannidem morte vtrunque multabit, Et in Hierusalem corpora illorum tribus diebus cum dimidio, volucribus ferisq̃ quasi maleficorum exposita relinquentur.*

XXIII.

cap. 20.

Matth. 24.

CHRISTVS regnabit in æternum. Antichristus verò breuissimo tempore, hoc est, per annos tantum tres cum dimidio, vti docuerunt omnes veteres S. Patres, & scriptura non semel clarissime expresse sit. Nam imprimis D. Ioannes in Apocalypsi: *Post annos mille, inquit, oportet diabolum solui modico tempore. Et Christus in Euangelio breuiandos esse dies persecutionis Antichristi asseruit. Quam breue autem & modicum illud tempus*

tempus sit tuturum aperte expositum est, Primo in vaticinio Danielis, cum ait, *Santos in manu Antichristi tradendos, per tempus & tempora & dimidium temporis.* Et iterum, *A tempore cum ablatum fuerit iuge Sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta.* Qui numerus non longe abest ab annis tribus & senis mensibus. Deinde in reuelatione B. Ioannis. *Atrium, inquit, quod est foris templum datum est gentibus, & ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.* Et rursus: *Dabo duobus testibus meis (Heliae & Henoch) & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta.* Et iterum: *Datum est bestiae loquens magna & blasphemias, & data est ei potestas facere menses quadraginta duos.* Ob hanc breuitatem temporis vti notauit B. Irenaeus, Antichristus à S. Ioanne appellatur bestia quæ fuit & non est. Nunquid potuit scriptura Sancta aut accuratius aut copiosius, aut distinctius & apertius nominatis etiam annis, mensibus, diebus, nobis durationem regni Antichristi describere?

XXIII

ET tamen tam perfrictæ frontis adhuc sunt aduersarij, vt contra manifestissimas Scripturas, contra vnanimem Patrum consensum docere audeant tyrannidem Antichristi in longissimum tempus, hoc est, in mille ducentes & sexaginta annos esse extrahendam. Sed absit, vt tam longum sit tempus, facile enim tota Ecclesia magnitudine tam diuturnæ tentationis ocumberet. *Nisi breuiati fuissent dies illi, ait Christus, non fieret salua omnis caro. sed propter electos dies illi breuiabuntur.* Et D. Augustinus. Quod si, inquit, permetteretur in tam longo tempore & tanta infirmitate multorum, (exercere totam tentationem) plurimos tales, quales DEVS id

peti non vult, & fideles deſiceret, & ne crederent, im-
pediret. quod ne faceret, alligatus eſt. Tunc autem
ſoluetur, quando & breue tempus erit. nam tribus an-
nis & ſex menſibus legitur totis ſuis ſuorumq; viribus
ſauiturus: & tales erunt, cum quibus ei belli-geran-
dum eſt, vt vinci tanto eius impetu, inſidijsq; non poſ-
ſint. Hæc ille,

XXV.

HIS igitur tribus annis & medio regni Antichri-
ſti exactis, cum ſecuriſſimam exiſtimabit eſſe domi-
nandi poteſtatem, exitio mundi obruetur, & terribili
angelicæ tubæ ſono percellitur clamantis: Surgite
mortui venite ad iudiciũ. aderitq; dies Domini ma-
gna & amara valde, in qua omnes homines occurrent
Domino in ætate perfectã, amicti carne, oſſibus & pel-
le ſua, vt recipiant, prout geſſere in corpore ſuo, ſiue
bonũ ſiue malum. Quando autem hæc omnia, quæ
de Antichriſti aduentu & conſummatione mundi di-
cta ſunt, euentura ſint, ſolĩ Deo exploratum eſt. De
die autem illo, inquit Chriſtus ipſe, vel hora nemo ſcit,
neque angeli in cœlo, neque filius niſi Pater.

*Marc. 13.
Matth. 24.*

XXVI.

EX hac tota diſputatione vel hiſtoria Antichri-
ſti, ſecundum doctrinam Sanctarum ſcripturarum, &
interpretationem non nouam aut priuatam, (Omnis
enim, inquit B. Petrus, prophetia ſcripturæ propria
interpretatione non fit) ſed antiquiſſimam & commu-
niſſimam omnium Eccleſiæ Doctorum & Paſtorum,
quos Deus auctore B. Paulo conſtituit, ne circumfer-
remur omni vento doctrinæ, breuiſſimè expoſitam, il-
lud

*Pontificem
Romanum
non eſſe Anti-
chriſtum.
2. Pet. 1.*

Ephes. 4.

Iud platum & perspicuum euadit, vanissimum esse & fallissimum Sectariorum commentum, cum volunt & contendunt velis remissq; ab annis sexcentis aut eo amplius Pontifices Romanos, veros Episcopos & Christi Vicarios esse desisse, ac in eximium illum & propriè dictum Antichristum degenerasse, cum neque in vnum, neque in multos, multo minus autem in totam seriem tot Pontificum, quæ hactenus ex doctrina cœlesti de Antichristo explicata sunt, vilo modo conuenire possint.

XXVII.

ET sunt tam varij, dubij & inconstantes aduersarij, tum in tota historia Antichristi enarranda, tum in numerandis annis regni Antichristi, vt nihil certi ab eis de hac re cognosci possit. Nam vt vnum exemplum afferam, Flacius Illyricus, cum suis Symmisticis Magdeburgicis Centuriatoribus, vult Antichristum conceptum paulo post annum quadringentesimum à partu virginis, natum autem circa annum 606. vnde sequitur eum centum annis in vtero fuisse enutritum. Regnum autem temporale eiusdem volunt 666. annis duraturum, spirituale 1260. Vnde plane consequitur Antichristum iamdudum esse mortuum, & finem mundi aduenisse. Etenim Romanus Episcopus, quem illi Antichristum faciunt, ab anno Domini 700. vsque ad hanc nostram ætatem, non insitiantibus Centuriatoribus & asserente Bibliandro in suo Chronico, temporale dominium obtinuit. Nam eo tempore Aribertus Longobardorum Rex, Pontifici donauit Alpes Coccias, quam donationem post annos 14. confirmauit Luitprandus, Circa annum verò Domini 750. rex Pi-

*In Catal. testi-
um. c. 412.
C. 6. c. 1. coll. 2.
C. 8. cap. 10.
coll. 685.*

B s pinus

ptius eidem assignauit Exarchatum Rauenνα, & par-
tem maximam Italiae, vt iſdem Centuriatores conce-
dunt. Si ergo Antichriſtus regnare debuit annis 666,
& Pontifex Romanus regnare cepit ante annos ſeptin-
gentos & amplius: quid aliud ſequitur, quam Anti-
chriſtum iamdudum eſſe exſtinctum, & ad eſſe ſecun-
dum aduentum Chriſti: maximè cum ipſi Magdebur:

Centuriones fateantur regnum Antichriſti, vſq;
ad ſecundum Chriſti aduentum perduratu-
rum, eo quod aduentu Chriſti, vt in,

1. Theſſ. 2.

dicat Apoſtolus, abolebi-
tur Antichriſtus.

F I N I S.



et uno coquat & puluē illū in miltat

co pinguat & in el facit ne aridus fiat
Qd aut ferre sentitur comestus hoc
t ad malos humores & fetores de homie
expellit. Qui aseredich comedit galga
p'eam stat comedat & ferre h' alius co

med & sic hōiem non ledit. **xxi.**

achdeha comestica q comedi
possit ualde frigide sū & sine co
dumendi comeste inuile succo suo cere
sū hōis in ane facit & stomachū in
firmuitate implent. Unde q eas comest
nult paumū & dylle & acetū & allio
gredere ita q hys pfulum sit bati hē
sūm comedatur. Et si hoc nō tempa
rū comedatur crederet confortant. et bo
nam digestionem parant. **xxii.**

ed agrestis lactuce eandē fere
naturā hnt. Qui aut lactucas
que in uiles sū & q unctiue dicuntur
aut crudas & totas comedit amaris i
ursumbe fieret & in dulla sua uacuus
efficeret q nec ille nec calide nec frigide
sū & sūtur in uilis uent' q fructus
tre are facit. terret & nullū fructū
affert & lactuce iste desquama sudus ter

sup'um blet sū p'nat & h' of sepe facit
at & libidē ab ipa fugabit ita tamen
qd sanitatē corpus ei nō minuit. Seda
sue ur siue femina qui in libidine in
contines est & ualaxachdeha in sole ex
siccet & itam manu sua in puluē re
digat & puluē illū in calido uino sepe
bibat & libidē in eo extinguit. ab sepe
lesione corporis sū. **xxiii.**

enē herba q in campo crescit &
in uitis & comēd' calida ē. h
in stabulis caloris & etiā humida est
ac in illa humedicate indignū frigidus
h' q de uarijs turbidibus & diuersa auita
crescit. Nec uilis ē ad comedendū q ue
niosa ē & in finos humores i hōie parat
& stomachū g'uat & in cito digerit p'.

Senos aut & macroos nō nocet in finos
uō & pingues ledit. Nam salmios in
stomacho g'uat pingues aut diumphet

pnāpe ualde calida ē. **xxv.**
aliquitū siccet naturā ē & in tempa
to calore & frigore. i. tempata auita cred
at & uires ardet & herbae hē de uero
illo credat q poma educit & q etiā de

[illegible]

*Turrianus
 de Peccato Orig.
 d'Varia Varie
 rum theses.*

[illegible]